

fuisse in tali occasione per liberum arbitrium, non inde infertur non potuisse resistere; imo potius sequitur potuisse, saltem physice: et quia de multis etiam potuit Deus præscire non fuisse peccaturos in simili occasione, recte etiam colligitur omnes potuisse etiam moraliter sine ulla propria gratia adjuvante omnia peccata legi naturali contraria vitare.

11. *Ad primum fundamentum in num. 3.* — Argumenta vero in contrarium facilem habent solutionem. Nam testimonia quæ in primo afferuntur, tractant de adiutorio necessario ad perseverandum in gratia; quod nos fatemur, etiam in illo statu, verum gratiæ adiutorium esse debuisse; quale autem futurum esset seu sufficeret, suo loco dicemus. Hic vero agimus de sola observantia præceptorum naturalium, de qua est longe dissimilis ratio. Nam perseverantia in gratia non fit sine aliquo effectu supernaturali, ad quem est necessaria gratia, sola autem observatio legis naturalis et carentia culpæ contrariæ non includit effectum supernaturalem, et ideo propriam gratiam non requirit. Si autem sermo esset de influxu Dei moventis seu concurrentis, et de beneficiis Dei ex generali ordine provenientius, sic verum est, etiam in statu integræ naturæ, perseverantiam in quocumque bono, et victoriam cujuscumque mali, Deo, ut principali auctori, esse tribuendam, ut sæpe dictum est.

12. *Ad secundum in num. 4.* — Ad secundum de tentatione Adami ejusque victoria, imprimis dico præceptum impositum Adæ, licet materialiter (ut sic dicam) et ex parte rei præceptæ fuerit de actione quadam, seu omissione naturali, seu corporali, nihilominus formaliter fuisse supernaturale, quatenus pendebat ex fide, et obedientia debita Deo, ut gubernanti naturam supernaturali modo, et ex hac parte non poterat servari sine gratia. Deinde tentatio illa non fuit primo et per se de solo esu cibi prohibiti, sed de appetitu similitudinis divinæ in scientia boni et mali; imo etiam involvebat tentationem circa fidem debitam verbis Dei et ejus comminationi, ideoque mirum non est quod ad vincendam illam tentationem fuerit necessaria gratia. Neque illud pertinet ad rem de qua tractamus, quia tentatio illa ad superiorem ordinem gratiæ, quem dæmon per illam evertere conatus est, pertinuit. Accedit quod Patres ibi citati de perseverantia in gratia loquuntur, seu ad retinendam justitiam, ut Augustinus loquitur: et similiter loquuntur de perfecta victoria, et ad vitam æternam

fructuosa, ut patet ex verbis Augustini, d. c. 27, l. 14 de Civit.: *Adam sic erat institutus, ut si de adiutorio Dei fideret, bonus homo malum angelum vinceret: et infra: Meritum bonum habens in adjuta voluntate recta, malum vero in deserente Deum voluntate perversa, quia et ipsum confidere de adiutorio Dei non posset sine adiutorio Dei.*

13. *Ad tertium in num. 5.* — Ad tertium, concedimus potuisse hominem in natura integra habere cogitationem inclinantem ad peccatum contra legem naturalem, proveniente, vel ex suggestionem dæmonis, vel alterius hominis, vel ex aliquo objecto externo excitante illam. Verumtamen talis cogitatio, quantumvis esset de se intensa et fortis, posset facile per bonum usum libertatis repelli, vel ad considerationem meliorem intellectum applicando, vel per voluntatem objectum pravum sic præsentatum respuendo, quia ante aliquem pravum voluntatis consensum non poterat passio vel concupiscentia inordinata insurgere, quæ illum voluntatis liberæ usum difficilem nedum impossibilem redderet; nec refert quod talis cogitatio antevertere posset usum libertatis etiam in illo statu, quia anteverteret sine passione appetitus, et ideo semper maneret integra facultas voluntatis ad sustinendum actum et applicandum intellectum ad saniolem cogitationem, et ita semper maneret integra potestas vitandi similia peccata.

14. *Procedit proxima responsio.* — Verumtamen hoc non obstante, concedimus potuisse hominem in illo statu et occasione consentire malæ cogitationi pro sua libertate. Hinc vero non sequitur fuisse gratiam necessariam in eo statu ad tale peccatum vitandum, non solum semel, sed etiam semper in una et eadem persona, quia ille affectus erat contingens, et fortasse in paucioribus, quantum erat ex parte causarum, ideoque facile potuisset in una et eadem persona, vel etiam in multis nunquam evenire; quia semper non solum physica potestas, sed etiam moralis integra perseverabat. Probabile autem est in magna hominum multitudine nunquam fuisse defuturum aliquem qui a tali bono deficeret, et ita respectu totius multitudinis hominum probabile etiam est fuisse necessarium speciale gratiæ et providentiæ adiutorium, ut ex magna hominum multitudine nullus naturalem legem unquam violaret. Et hoc ad summum illa ratio suadet, estque valde consentaneum mutabilitati humanæ, libertati suæ commissæ, etiam cum illa integritate, quæ non excludebat contingentiam ad quam veluti

necessitate quadam illa varietas in affectibus sequi solet.

## CAPUT XXVI.

UTRUM HOMO LAPSUS POSSIT OMNIA PRÆCEPTA NATURALIA DIU SERVARE, VITANDO OMNIA PECCATA, ET TENTATIONES OMNES ILLIS CONTRARIAS, SINE SPECIALI AUXILIO GRATIÆ?

1. *Exponitur quæstio.* — Qui affirmantem partem tradant. — Sermo est de peccatis mortalibus vitandis, nam de venialibus, res est certissima, etiam cum ordinario auxilio gratiæ, non posse omnia simul vitari, ut in libris sequentibus dicemus. Præterea tractatur quæstio præcipue de adiutorio actuali Dei, quoniam illud est quod proxime dat vires ad operandum; an vero habitualis etiam gratia necessaria sit, in fine capituli dicemus. Aliqui ergo ex Scholasticis antiquis dixerunt posse liberum arbitrium vitare sine gratia omnia peccata contra legem naturæ, etiam collective sumpta. Ita loquuntur Durand., in 2, d. 28, quæst. 3 et 4, et Gabr., q. 1, et Scotus, quæst. unica, quos aliqui interpretantur de gratia habituali, ita ut non excludant necessitatem auxilii actualis. Verumtamen frustra ita excusantur, quia licet indistincte de gratia loquantur, et principaliter de habituali quæstionem proponere videantur, nihilominus in discursu necessitatem omnis gratiæ excludunt, et soli naturali libertati post deliberationem intellectus hunc effectum tribuunt; ut patet ex discursu Scoti contra sententiam D. Thomæ, et ex Gabriele, qui non solum dicit gratiam non esse necessariam, sed etiam sufficere naturales vires: et idem sentit Durandus. Rationes etiam quibus hi auctores utuntur, eo tendunt ut non sit major gratia ad collectionem necessariam, quam ad singulos actus, ut maxime in Scoto videre licet: constat autem eos non postulare gratiam actualem ad singulos actus. Eandem sententiam tenet Almainus, tractat. 1. Moral., cap. 16. Nam licet indistincte tractet de actibus bonis, in ultimis verbis loquitur de omnibus, et Scotum sequitur. Abulens. etiam in q. 178, in c. 19 Matt., dum non majorem gratiam requirit ad collectionem quam ad singulos actus, in hanc sententiam inclinat, quamvis, ut dixi, ambigue de gratia loquatur; sicut etiam D. Thom., in 2, dist. 28, quæst. 1, art. 2 et 3, ubi hanc sententiam probasse videtur.

2. *Quibus Scripturæ loci suadeant.* — Ratio. — Solent ad hanc sententiam suadendam quædam Scripturæ testimonia induci, quæ parum

momenti habent. Unum est illud ad Rom. 2: *Naturaliter ea quæ legis sunt faciunt.* Sed jam supra dixi Paulum non dicere facere omnia, sed indefinite, seu confuse, satisque vera erit propositio si aliqua faciant. Aliud testimonium est illud 1 ad Corinth. 10: *Fidelis Deus,* etc. Sed hoc potius probat dari nobis adiutorium gratiæ, ut possimus. Aliud est illud Deut. 30: *Mandatum, quod præcipio tibi, non supra te est.* Sed quia ibi est sermo de præcepto dilectionis, dicam de illo commodius in cap. 29. Præter hæc testimonia afferuntur rationes sumptæ ex possibilitate mandatorum naturalium, et ex libertate arbitrii, et præcipue urgetur illa ratio c. 18 insinuata, quia ex discursu per singulos actus et occasiones, in quibus vitari potest peccatum, concluditur tota collectio; quæ omnia in superioribus tacta et soluta sunt, et in capite sequenti, dicendo de homine in puris naturalibus, aliquid addeamus.

3. *Quo pacto sibi contrariæ objectioni occurrant.* — Quod si contra sententiam hanc obijciantur Conciliorum decreta damnantium Pelagium, eo quod diceret posse hominem sola libertate absque auxilio gratiæ totam legem servare, et sine peccato diu vivere, responderi potest primo loqui Patres de tota lege, quæ ad vitam æternam consequendam necessario servanda est. Hæc autem lex non solum moralia præcepta legis naturæ, sed etiam fidei, spei, charitatis, et penitentiae includit, et totam illam sic intellectam dicebat Pelagius posse absque gratia servari, et omnia peccata ac tentationes omnes contra illam vitari seu superari posse; hoc ergo est quod damnant Concilia et Patres; non vero quod sola lex naturalis, quantum ad moralia secundum se spectata, possit absque gratia servari. Secundo et consequenter responderi potest Pelagium asseruisse non solum posse liberum arbitrium sua virtute vincere omnes tentationes quoad vitandum longo tempore peccatum, sed etiam quoad consequendum fructum vitæ æternæ, et hoc etiam modo posse totam legem naturæ servare non solum quoad substantiam, sed etiam quoad modum, id est, meritorie et ex charitate, et hoc etiam est quod Patres et Concilia damnant. Dicti autem Scholastici expresse distinguunt observationem quoad substantiam tantum vel etiam quoad modum, et priorem tantum tribuunt libero arbitrio, et ita rejiciunt errorem Pelagii: eorum ergo sententia prædictis definitionibus non damnatur nec comprehenditur.

4. *Vera sententia negans.*—Nihilominus vera sententia est hominem lapsum, gratiæ viribus destitutum, non posse longo tempore resistere omnibus tentationibus, nec vitare omnia peccata mortalia contra legem naturalem, atque adeo necessariam esse illi gratiam ad observanda omnia præcepta legis naturæ, etiam quoad substantiam eorum. Ita docet D. Thom. 1. 2, q. 109, art. 4 et 7, et quæst. 14 de Verit., art. 12; Cajetan., Conrad., et alii scribentes in 1. 2, ubi supr. Magist. in 2, d. 26, 27 et 28, ubi frequentius Theologi, Bonav., Ægid., Richard., Greg. et Capreol.; Henric., quodlib. 5, q. 20, et quodlib. 6, q. 11; Soto, 1 de Natur. et grat., c. 22; Veg., q. 13, de Justific., et l. 12 in Trid., c. 21 et 22, et omnes moderni qui contra Lutheranos scribunt.

5. *Probatur primo Pauli testimoniis.*—Probatur primo ex Paulo, nam ubi docet necessitatem gratiæ ad vincenda peccata et servandam legem, sæpe mentionem facit legis naturalis, et difficultatem et impossibilitatem servandi illam magna ex parte constituit in lege fomitis et concupiscentiæ, quæ certe præceptis moralibus et naturalibus resistit. Hoc videre licet in epist. ad Rom., præsertim a c. 3, unde c. 7 ait: *Sentio aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ*; per legem mentis plane intelligens legem naturalem; unde quod addit: *Et captivum me ducentem in legem peccati*, etiam intelligitur de peccato legi naturali contrario, nam lex peccati, quæ est fomes, ad hoc proxime inclinatur. Ac tandem exclamat: *Quis me liberabit?* etc., et respondet: *Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum*; præterea, c. 8, subjungit: *Quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem.* Nam hæc infirmitas carnis observantiam legis naturalis proxime impedit, et ob hanc causam solet Paulus dicere legem fuisse occasionem peccati. Imo 1 ad Cor. 13 ait: *Virtus vero peccati lex*, et subjungit: *Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam per Jesum Christum*, attribuens gratiæ victoriam concupiscentiæ: et in eodem sensu dixit 2 ad Cor. 3: *Littera occidit, spiritus autem vivificat*, per litteram legem intelligens, per spiritum gratiam, ut late exponit Augustinus toto lib. de Spirit. et litter.

6. *Alia ejusdem testimonia ab Augustino exposita.*—Unde c. 14 et sequentibus optime declarat prædictas sententias Pauli intelligi non solum de lege veteri, sed etiam de lege naturali, docens ad quamlibet earum implendam esse impotens liberum arbitrium post lapsum,

auxilio gratiæ destitutum. Primo, quia sæpe reducit Paulus impotentiam illam ad legem, *Non concupisces*, prout generaliter includit omnem concupiscentiam irrationalem, et hoc modo attribuit gratiæ Christi victoriam concupiscentiæ. Secundo, quia quod Paulus dixit ad Galat. 2: *Si ex lege justitia, ergo gratis Christus mortuus est*, non minus concludit, si addas: *Si ex lege naturali justitia*, ergo gratis Christus mortuus est, quam si de lege veteri illud intelligas. Tertio, quia Paulus in epistola ad Romanos non solum Judæis, sed etiam gentibus ostendere voluit gratiam Christi esse necessariam, et ideo utrosque convincit quod suam legem observare non valuerint, sed peccatis et concupiscentiis corruptissimi fuerint; ergo necesse est ut, sub lege, non solum scriptam, sed etiam naturalem comprehenderit, quoties dicit legem non justificare, vel hominem per se non sufficere ad implendam legem. Eandemque doctrinam habet August. epist. 86, q. 2, et lib. de Natur. et grat., cap. 2 et sequentibus, et lib. de Grat. Christi, c. 8, et de Grat. et lib. arb., cap. 4, et sæpe alias, et expresse Hieronymus, epist. ad Ctesiphontem, parum a medio.

7. *Probatur secundo Conciliorum Patrumque testimoniis.*—*Concilia de Ethnicis etiam verba faciunt.*—Hinc etiam efficaciter probatur nostra sententia testimoniis Conciliorum et Patrum, quæ supra, cap. 22, generaliter adducta sunt ad probandum victoriam tentationum esse ex gratia. In illis enim (ut ibi etiam diximus) saltem docent Concilia non posse liberum arbitrium hominis lapsi, inter tot peccandi occasiones quot in hac vita occurrunt, se immunem a peccato servare, etiam in his quæ ad legem naturæ spectant; tum quia ad hæc maxime inclinatur concupiscentia, et infirmitas ex peccato relicta, ex qua hujus auxilii necessitatem colligunt, ut capite præcedenti allegavi; tum etiam quia loquuntur eodem sensu quo Paulus, ut ex verbis eorum intelligi potest. Nam Concilium Palæstinum, in undecimo articulo, cogit Pelagium fateri victoriam tentationum ex adjutorio Dei provenire, ut supra relatam est ex Augustino, epist. 106; loquitur autem illud Concilium de victoria quoad vitandum peccatum, ut constat ex illius gestis ab Augustino relatis in proprio libro., a. 21 a nobis relato supra prol. 6, cap. 3, et ex Concil. Milevit., cap. 3, ubi docet gratiam esse necessariam ad non peccandum. Verum est hæc Concilia non dicere expresse esse necessariam ad non peccandum contra legem naturalem; nihilominus tamen mul-

tum favent huic sententiæ; tum quia non loquuntur de solis fidelibus, sed etiam de infidelibus, qui ordinarie non peccant, nisi contra legem naturalem, et in illis maxime locum habent prædictæ definitiones; tum etiam quia fundantur sæpe illa Concilia, non in hoc quod peccata aliqua sunt contra legem supernaturalem, sed in lapsu naturæ humanæ, et in infirmitate quam inde contraxit ad non peccandum, et ad resistendum dæmoni, etiam in his rebus et materiis quæ sunt contra legem naturalem, et concupiscentiæ sensibili conformes. Et hoc modo confirmat eandem veritatem Concilium Trident., sess. 6, cap. 11 et 13; et Hieronym., Dialog. 3 contra Pelagian.; Aug., epist. 143, et lib. de Grat. et lib. arb., cap. 11 et sequent. usque ad 16; et optime Prosper, lib. 2 de Vocat. gent., cap. 28, alias 9, in fine; et Fulg., lib. de Incarnat. et grat., cap. 16.

8. *Rejicitur prima evasio in num. 3.*—*Rejicitur secunda ibid.*—Atque ex his satis impugnata et explosa est prior evasio in favorem prioris sententiæ. Nam ostensum est, licet interdum Patres loquantur de lege tota, ut includit præceptum fidei et charitatis, nihilominus etiam loqui sæpe de illa parte illius legis quæ pertinet ad solam legem naturalem; imo interdum non de illa integra, sed etiam de particulari præcepto ejus, ut de castitate, fortitudine, et similibus. Et simili modo redarguitur ex dictis posterior evasio, quia Paulus, Pontifices, Concilia et Patres citati non solum loquuntur de observatione legis per bonos actus, in quibus locum habere posset interpretatio de bonis actibus pietatis, vel habentibus modum consentaneum fini supernaturali, sed loquuntur etiam de necessitate gratiæ ad non peccandum contra legem naturalem, ut ostendimus, et specialiter sumitur ex epistola Concilii Carthaginensis ad Innocentium, et ex rescripto Innocentii, et Concilio Milevitano, capite tertio, et ex locis Hieronymi et Augustini, et aliorum Patrum; requirunt enim gratiam ad servandam legem naturæ, ita ut sufficiat ad non peccandum contra eandem legem naturalem; ad hoc autem sufficiunt actus naturales, quibus fiat substantia præcepti, vel omittatur quod lex vetat.

9. *Probatur tertio ex orationibus omnium fidelium.*—Confirmari præterea potest hæc veritas ex communi consensu fidelium, quem in suis orationibus declarant, a Deo petendo ne peccatis vel tentationibus etiam contra legem naturalem consentiant, ut patet ex oratione Dominica, quam Cyrianus et alii ita

exponunt: ergo omnes sentiunt se indigere auxilio gratiæ ad non peccandum contra legem naturalem et vincendas tentationes illi contrarias. Quo argumento utuntur Augustinus, Prosper, Fulgentius, Hieronymus, et Africani Patres, et Pontifices in locis et epistolis sæpe citatis. Habetque argumentum hoc peculiarem vim in præsentis puncto; tum quia ex oratione recte colligitur necessitas: ergo oportet ut hæc gratia sit necessaria saltem ad integram observantiam præceptorum, vel, ut dici solet, ad totam collectionem actuum, quando ad singulos necessaria non est; unde supra dicebamus ideo in singulis esse orandum, quia saltem in singulis est periculum, et incertum est ubi erit necessitas; ergo signum est, saltem ad totam collectionem, omnino esse gratiam necessariam; tum etiam quia non solum gratia, sed etiam oratio necessaria est et in præcepto, ut possimus sine peccato perseverare; ergo signum est per illam postulari gratiam necessariam ad talem effectum, sicut supra de gravibus tentationibus argumentabamur. Quod si quis objiciat hanc rationem non habere locum in infidelibus, cum orare non valeant quamdiu infideles sunt, dicendum est imo hæc ratione probari, eos in illo statu non posse implere totam legem naturalem, quia nec orare possunt, sicut oportet, ad obtinendum auxilium quo legem impleant; neque hoc est inconveniens, quia ex parte Dei paratum habent auxilium, et illis non deest libertas in singulis actibus qua possint legem implere.

10. *Probatur quarto ratione.*—Tandem ratio propria hujus necessitatis est quæ de tentationibus gravibus data est. Nam ex illa resolutione sequitur hæc quam nunc tradimus; quia tentationes graves contra præcepta legis naturæ non possunt homini mortali in hac vita deesse longo tempore, nisi peculiari Dei auxilio protegatur; sed non potest homo sine gratia vel unam gravem tentationem ita vincere, ut peccatum sola libertate evitet: ergo multo minus poterit totam legem naturalem diu sine peccato servare. Verumtamen, licet hæc ratio plane convincat, supposita conditione generali præsentis vitæ, quæ est inter graves tentationes versari, nihilominus non est adæquata. Nam licet in longo tempore non occurreret ulla tentatio tam gravis quæ per liberum arbitrium vinci non posset, nihilominus inter ordinarias tentationes occurrentes, militans homo per solum liberum arbitrium et rationem naturalem, sine auxilio gratiæ non pos-

set diu omnes illas vincere quin sæpe peccaret, et ita nec posset totam legem naturalem in illo tempore servare, nec omnia peccata contra illam vitare, ut notavi c. 18. Et ratio est, quia licet tunc non esset in singulis peccatis vitandis absoluta impossibilitas moralis, esset nihilominus non parva difficultas, in his maxime in quibus tentatio saltem mediocris urget; et inde insurgeret impossibilitas simpliciter, licet moralis, in perseverantia et uniformitate operandi longo tempore cum eadem integritate cavendi malitiam et operandi honestatem. Unde ratio facta de unaquaque gravi tentatione cum proportionem et majori vi potest hic applicari; quia multitudo et varietas occasionum et tentationum mediocrium, quæ longo tempore occurrunt, magis auget difficultatem constanter operandi honeste, et sine lapsu toto illo tempore, quam unius et ejusdem tentationis acerbitas continua per aliquod mediocre tempus eandem difficultatem ingerat, quia illa diuturna perseverantia et circumspectio in tanta rerum difficultum varietate magis repugnat mutabilitati et infirmitati liberi arbitrii, effrenatæ concupiscentiæ conjuncti. Ergo si victoria unius tentationis gravis superat moraliter vires liberi arbitrii, magis illas superat diuturna illa innocentia inter tot tentationes, etiam mediocres, de qua ratione dicemus iterum capite sequenti.

11. *Excluditur objectio.* — Dices: Ergo saltem ille homo, qui nec mediocres tentationes contra legem naturalem multo tempore pateretur, posset sola potestate liberi arbitrii peccata omnia contra legem naturæ vitare, eamque integre servare. Respondeo, data hypothesis, et loquendo de solis peccatis mortalibus, posse sine incommodo consequens admitti, quia causa adæquata illius impotentia est, quod præcepta legis naturæ non implentur, nec peccata contra illam vitantur, sine bello et pugna contra tentationes, præsertim internæ concupiscentiæ vel superbiæ, quas dæmon sua industria anget: ergo, cessante hac causa, nihil mirum est quod cesset actus. Illa tamen hypothesis supponit singularem gratiæ protectionem, sine qua impossibile est homini mortali et ratione utenti sine tentationibus vivere, et ita illa observatio legis naturæ et peccatorum fuga non esset sine gratiæ Dei protectione, quam donum perseverantiæ etiam includit. Dixi autem, loquendo de peccatis mortalibus, quia licet nulla esset tentatio graviter vel mediocriter inducens ad peccatum mortale, etiam inter leves tentationes contra præcepta,

non posset homo suis viribus diu abstinere a venialibus negligentis et defectibus qui sunt veluti connaturales homini mortali, et respectu talium peccatorum nunquam deesse possunt graves, imo et gravissimæ tentationes, ut, in libro sequenti latius dicturi sumus. Et ita nihil superest respondendum ad fundamenta contrariæ sententiæ, præter ea quæ capite sequenti addemus.

12. *Quam certa sit sententia comprobata.* — Solet autem interrogari quam sit certa hæc assertio. In quo omnes Theologi, præsertim moderni, docent esse certam et indubitam, quia contrarium multum accedit ad errorem Pelagii. Difficultas autem est an simpliciter sit de fide; aliqui enim affirmant, propter testimonia Pauli et Conciliorum quæ adduximus. Ita sentit Medina ad art. 4 et 8 divi Thomæ supra citatos, quem nonnulli moderni imitantur. At vero Soto, dicto cap. 21, non putat esse de fide, quia testimonia adducta habent aliquam interpretationem non omnino improbabilem, et sequitur Torens., libro 2 Confessionis Augustinian., cap. 3; et indicat etiam Valent., 2 tom., disput. 8, quæst. 1, puncto 3, § 2, quia solum ut opinionem Theologicam illam tradit. Et mihi etiam videtur non esse simpliciter de fide, quia non invenio expressam et specificam Ecclesiæ definitionem hujus dogmatis sub his terminis propositi, scilicet de observatione omnium præceptorum legis naturæ solum quoad vitanda peccata illis contraria. Definitiones autem generales supra adductæ habent evasiones supra etiam positas, quæ licet sufficienter refellantur, non tamen ita evidenter, ut certum de fide sit, hoc particulare dogma sub illa generali definitione contineri. Ideoque satis est dicere doctrinam hanc esse conclusionem Theologicam adeo certam, ut contraria non solum jam temeraria sit, sed etiam errori proxima. Supererat hoc loco cum Lutheranis disputandum, an homo lapsus possit cum Dei gratia servare præcepta moralia, nullum grave peccatum contra illa committendo. Sed in hoc nulla est controversia inter catholicos, nam fides docet non solum possibile, sed etiam facile esse vitare omnia hæc peccata per auxilium divinæ gratiæ, et juxta mensuram ejus servare præcepta; contra hæreticos vero contrarium sentientes videri possunt Bellarmin., lib. 4 de Justificat., a cap. 10 usque ad finem, et Valent., 2 tom., disput. 8, quæst. 1, punct. 3, § 3; et Stapleton., de Justificat., lib. 6 de Perfect. justitiæ, et in sequentibus aliqua de hoc puncto

dicemus, de dono perseverantiæ disputando in libro decimo.

## CAPUT XXVII.

UTRUM, AD SERVANDAM LEGEM NATURALEM ET VITANDA OMNIA PECCATA ILLI CONTRARIA, LONGO TEMPORE, SIT NECESSARIA HABITUALIS GRATIA, VEL FIDES, AUT SUFFICIAT AUXILIUM ACTUALE, ET QUALE ILLUD ESSE OPORTEAT?

1. *Præmittitur imprimis, ac probatur requiri actuale auxilium.* — In hoc puncto supponimus necessariam esse gratiam actualis auxilii, vel motionis divinæ per internam aliquam inspirationem et illuminationem, ita ut sine hoc auxilio nec gratia ipsa habitualis sufficiat. Probatur primo, quia de hac gratia maxime loquuntur Concilia et Sancti in præsentia materia, ut supra ostensum est, et in testimoniis allegatis videre licet. Secundo, quia etiam in homine justificato, ultra habituales gratiam, requiritur speciale auxilium divinæ motionis et protectionis, ut homo custodiatur integre totam legem naturæ, non solum quoad modum supernaturalem seu meriti, sed etiam quoad vitandum omnem lapsum, ut aperte tradit Cælestinus in Epist. ad Gallos, cap. 6, dicens: *Hominem etiam baptismatis gratia renovatum idoneum non esse ad superandas diaboli insidias, et superandas carnis concupiscentias, nisi per quotidianum Dei adjutorium perseverantiam bonæ conversationis acceperit.* Idem sumitur ex Concilio Tridentino, dicto cap. 11 et 13, et infra tractando de dono perseverantiæ dicitur; ergo a fortiori requiritur actuale auxilium ad prædictum effectum in quolibet homine non justificato. Tertio, quia quæ homines inducunt ad peccandum contra legem naturæ, actu movent et impellunt, vel suadent, quia sine his non est propria tentatio quæ actu fiat, quia non nisi per hujusmodi actus animæ infertur. Ergo e contrario soli habitus non satis juvant ad vincendam tentationem sine actuali motione et influxu divinæ gratiæ.

2. *Prima illatio ex dictis.* — *Secunda.* — Et hinc obiter infertur gratiam necessariam ad hunc effectum non posse esse solam habituales, quia hæc non dat vires, nec per se inclinatur ad actus naturales. Dices: sanat animam; ergo hoc satis est ut det vires bene operandi. Respondeo: formaliter sanat animam in ordine ad Deum tollendo culpam, non tamen sanat læsionem inductam per fomitem et

effrenatam concupiscentiam, et ita non tollit per se proximam infirmitatem bene et constanter operandi, sed indiget auxilio actuali. Secundo, infertur hanc gratiam necessariam ad hunc effectum non posse consistere in sola cogitatione honesta per ordinarias causas et objecta naturalia excitata, quæ tantum consequenter fit congrua per habitudinem ad futurum consensum, quem liberum arbitrium suis viribus præstabit. Quia, ut ostendi, illa non est gratia internæ inspirationis et illuminationis; imo nec est propria gratia, aut beneficium quod rationem legis et doctrinæ naturaliter debitæ et comparatæ excedat. Item quia omnes rationes factæ in superioribus capitibus hic procedunt, quia illo modo nec infirmitas naturæ agnoscitur, nec Pelagio contradicitur, quia non ponitur necessitas peccandi, quæ ex peccato originali manet, et sit antecedens in ipsa causa defectibili et infirma, sed ad summum ponitur necessitas consequens in præscientia Dei, quæ etiam in natura integra esse potuisset.

3. *Dubium primum in titulo positum, an requiratur etiam gratia habitualis.* — *Prima sententia affirmans.* — *Ei favere videtur Augustinus.* — His ergo positis, primum dubium est utrum gratia habitualis sit etiam necessaria ad prædictum effectum. In quo prima sententia est affirmans. Videturque esse D. Thomæ 1. 2, quæst. 109, art. 4 et 8; requirit enim gratiam habituales sanantem naturam, ut homo possit omnia præcepta implere et omnia peccata vitare. Tenet Vega, quæst. 13 de Justificat., ubi etiam addit non sufficere auxilium supernaturalis ordinis, si gratia sanctificans et charitas desit. Et hanc sententiam nunc frequentius sequuntur Theologi. Videturque sumi ex Augustino de Spirit. et litter., cap. 14 et sequentibus, ubi expresse probat fidem, quæ per dilectionem operatur, esse necessariam ad servanda omnia præcepta decalogi, et sine hac gratia etiam legem decalogi esse litteram occidentem; at fides, quæ per charitatem operatur, est fides viva per charitatem, quæ non est sine gratia sanctificante; ergo hanc gratiam vult esse necessariam ad servandum decalogum. Et idem sentit lib. 1 de Grat. Christ., cap. 8, ubi ait ad legem implendam necessariam esse gratiam et justitiam, quæ, Deo donante, diligendo teneatur; et de Corrupt. et grat., cap. 2, similiter requirit charitatem; et in Epist. 95, cum aliis Episcopis scribit, ad non peccandum non satis esse liberum arbitrium, nisi juvetur per gratiam,